



**G**regorius Biberaci in Sueuia patriciorum nobili genere natus est, anno millesimo quadringentesimo sexagesimo tertio. Is parentum consilio operam literis dedit, atq; primis rudimentis in patria perceptis, sese ad uarias Academias contulit. In ijs locis omni genere artium & linguarum sese exercuit, & in primis Iurisprudentiæ diligēter incubuit. Itaq; Legum Doctor omnium Doctorum suffragio creatus fuit. Erat etiam prudentia & facundia insignis. Id cum Huldricus Vuirtenbergensis cognouisset, eum in consilium admisit, atq; suum Cancellarium constituit. In ea functione cum aliquandiu perrexisset, Maximilianus Cæsar, Huldrici per-

missione, hunc Gregorium ad se uocauit, atq; pro intimo consiliario elegit. Cum etiam eius uirtutes & in rebus agendis industriam perspexisset, atque præclara merita considerasset, hunc Gregorium equitis aurati titulo & dignitate exornauit. Hoc modo Gregorius per multos annos egregiè perrexit, & omnibus doctis innotuit. Tandem Cæsare fato functo, ipse quoque renum dolore uexatus Norinbergæ decubuit, atq; anno ætatis suæ sexagesimo, salutis uerò millesimo quingentesimo uigesimo tertio inter uiuos esse desijt. Con. Vuolff. Platzius.